22

Que sunt temperancia prudencia fortitudo iusticia
Hec sunt omnium virtutum radices et inicia.
Archa habebat duos vectes aureos quibus portabatur
Per quos duplex caritas videlicet dei et proximi in maria designatur
Archa tam interius quam exterius deaurata erat.
Maria intus et foris virtutibus resplendebat.
Que per eciam ipsa pulcre figurata est in candelabro aureo
Quod lucebat ierosolimis in domini templo.
Super quod septem lampades ardentes stabant.
Que septem opera misericordie in maria figurabant.
Que sunt ista. cibare esurientem et potare sicientem.
Vestire nudum et colligere hospicio non habentem.
Infirmos visitare et vinctos redimere vel liberare
Mortuos sepelire et necessaria funeralia ministrare
Nullus dubitet opera misericordie in maria plenarie fuisse.
Quia constat matrem pietatis et reginam misericordie semper extitisse
Quomodo mater tocius misericordie non impleret.
Quomodo candelabrum divino igne accensum non luceret
Ipsa enim est candelabrum et ipsa est lucerna.
Ipsa lampas ardens accensa luce superna
Ipsa tota splendens est et tota luminosa
Ipsa aurora rutilans et tamquam sol radiosa.
Ipsa lucet et splendet super omnia astra celorum.
Ipsa est luna huius noctis mundi et lux angelorum.
Hoc candelabrum et eius candelam honoramus.
Quando in festo purificacionis accensas candelas baiulamus
Maria enim candelam domino in illa purificacione offerebat.
Quia symeon. lumen ad revelacionem gencium concanebat
Christus marie filius est accensa candela.
Propter triplicem materiam que invenitur in ea.
Sunt enim in candela ignis lichnus et cera
Et in christo erant caro anima et divinitas vera
Hec candela pro humano genere est domino oblata.
Per quam nox tenebrarum nostrarum est illuminata
Oblacio huius beatissime et gloriose candele.
Quondam prefigurata fuit in puero samuele
Anna uxor helkane filius ex eis plenum non habebat.
Et pro puero dominum exorans lacrimas uberrime fundebat.
Anne igitur sterili deus contra morem nature filium donavit
Marie virgini supra cursum nature filium [illegible]
Anna filium suum samuelem vocans obtulit eum domino deo
Maria filium suum ihesum appellans obtulit eum patri suo vero
Anna obtulit filium qui iudeos erat propugnaturus
Maria obtulit filium qui mundum erat redempturus
Filius anne postea a iudeis est refutatus.
Filius marie ab eis est morte turpissima condempnatus
Hoc est quod symeon marie prophetando predicebat
Quod gladius filii sui ipsius animam pertransire debebat
O bone ihesu da nobis tuam presentacionem ita venerari
Ut tibi in templo celesti mereamur manibus presentari.

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/Hs-2505/0043
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt